



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 159. Belli apparatus in Anglia adversus Gallos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

§. CLIX.

Belli apparatus in Anglia adversus Gallos.

Juven. Urs. Hist. Car. VI Monstrelet. vol. I. p. 141. & seq. In Galliis pacis negotium cum Anglia indefesso tractabatur studio, atque tres solemnes ultro citroque legationes missæ fuere, ut conventa pacis perficerentur, quibus absolutis Henricus V. Angliæ Rex Catharinam Franciæ Principissam in uxorem ducturus esset. Oblata fuere Anglo in dotem futuræ conjugis octingenta aureorum florenorum millia, simulque quindecim Aquitanniæ urbes, ac totus Lemovicensis districtus. Hæ conditiones Henrico arridere videbantur, sed promissorum facilitati operis constantia defuit. Anglus enim Galliam bello opprimere parabat, eoquod illud ejus subditi tanto ardore expeterent, ut universum regnum, si eorum votis non acquievisset, contra Regem ad seditionem commovissent. Præterea suspitioni locus erat, quosdam Franciæ Proceres Gallici imperii pertæsos clandestina cum Henrico fovisse consilia: saltem ipse Angliæ Rex persuasus erat, mediam duntaxat Nationis gallicæ partem sibi adversam fore, eoquod adhucdum Aurelianiensis, & Burgundica Domus implacabili odio inter se dividerentur.

Ubi

Ubi ergo exercitum suum contraxit, haud ultra animi sui consilia occultavit, sed aperto Marte se adversus Gallos jura sua tuiturum declaravit; deditque ad Regem literas querelis, atque minis plenas, eumque in sua subscriptione simpliciter *Carolus Galliae cognatum suum* nominavit, postmodum vero *Portum gratiae* ad ostia sequanae situm ingressus est, & cum sex millibus cataphractorum, triginta sagittariorum millibus, aliisque pluribus copiis justo exercitus numero convenientibus exscensionem fecit.

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. CLX.

Huneflotum obsidione cinctum, ac vi captum.

Hoc exercitu instructus Huneflotum, Honfleur. aliis *Arefluctum*, gravi obsidione premit. Urbs ista fortiter Anglorum impetus sustinuit, munita præsidio ac virtute quadringentorum militum, & septingentorum vel octingentorum Provinciæ Nobilium, qui ad hostem ab urbe repellendum accurrerant. Nihilominus vi occupatum est castrum, atque direptum, cum Gallici exercitus Duces, ut fama fert, vel ignavia, vel proditione, laboranti urbi succurrere negligerent, cujus rei culpa potissimum in Albretum Connestabilem rejiciebatur.

Ubi